

## XVIII.

Aus dem

# handschriftlichen Nachlaſſe eines Sachſen des 17. Jahrhunderts \*).

Mitgethilt

von

G. D. Teutsch.

11.

Anno dominj Millesimo Sexcentesimo tricesimo quinto, sub finem Annj, Illustrissimus Comes D. Stephanus Bethlen de Iktar etc., ad multorum, ut ipsem retulit, Nobilium Transylvanorum, soli, citationem, ex Arce sua Etsediense Hungariae, profectus est Budam, Illustrissimum Principem nostrum Georgium Rakoczy, accusando apud Vezirium Budensem, Portamque Ottomannicam, ut qui Tyrannidem in universorum Transylvanorum privilegijs exercens, suae etiam Magnificentiae bona, citra foedus secum factum, vj et potentiose juramento non obstante, detineret; quin et a porta Ottomannica defectionem moliretur, deditioñemque affectaret, ad portam Imperatoris Romanorum, jamque contra Turcam percussisset foedus cum Rege et Poloniae

---

\* ) Zacharias Gilkenius, Schreibers dann Stuhlrichters in Schäßburg.

Kegno cuius se jam civem curasset inscribi: Proinde Principatu ejiceretur, ac ut ipse in locum ejus sufficeretur summopere tam Budae quam etiam in Porta Ottomannica, vrsit ac summis viribus contendit. De quibus omnibus Illustrissimus Princeps noster certior factus, quamvis merae calumniae fuere, attamen convocavit Comitia, Colosvarinum ad diem X Mensis Februarij Annj 1636 negotiumque hoc statibus Regnij pròpónendo, ipsi Status' èt Ordines decreverunt instituendo legationem, Budam, quae Stephanum Béthlen a 'tali proposito' dèhortando admoneret rogaretque de suo in hoc regnum nostrum pacifico adventu, Amicitiamque tam Illustrissimi Principis nostrj, quam etiam Ordinum Regnj, sedulo afferrent, dominum Vezirium insuper rogando hortarentur Legati, 'nè accusatiōnibus talibus fidem haberet, multo minus votis Stephani Bethlen annueret, contra fidem Assecurationem et Confirmationem publicam, tam Illustrissimo Principi nostro, quam Statibus Regnij super electione principali factam a porta Ottomannica semel, et tam longis temporum vicissitudinibus ab Imperatoribus Ottomanicis tam sancte observatam. Quod et factum est. Decernitur ex tribus Nationibus solennis Legatio, Ex Senatu Illustrissimj Principis Generosus D Stephanus Szalancy, suae Celsitudinis Consiliarius. Ex Comitibus, Generosus D Stephanus Keoressy Vice Comes Comitus Byhariensis, Ex Siculis, Generosus Dominus Stephanus Péttky Trium Sedium Siculicalium Chyk, Gyrgio, et Rasson Capitaneus supremus, Ex Saxonibus ego Zacharias Filkenius Judex Sedis Segesvariensis. Quo autem interim securus sit Illustrissimus Princeps noster de fidelitate Regnij, postulavit homagium novum. Quod a nobis, Saxonibus signanter, a qualibet Civitate, scripto, propositum est hac forma: A Civitate Segesuariensi.

My, Vassas Marthon, Segesvar Varassanak Polgarmestere, Iffiu Istvan Kyralybiraia, es Veyrauch alias Filken Zakarias, Szekbiraia, es my Tizenharom Tanacsbeli emberek; müis penigk kik ezen Segesvar Varassaban Szasz embereknek hivattattunk es Keozeonsegessen az egész Varasnak lakossy felseo es also renden leveok; szemunk elleot viselven mj azt, hogy az Vr Istenen küvűl, my senkinik nagiob hüsegel, igassagal, teokellettessegel nem tartozunk, mint az my feodelmunknek, es hazanknak; Latvan aztis, hogy az my szabadsagunknak oltalmazasa, az mj mostanj kegemes urunknak megh maradassaban helyheztettet: Esküssunk azert az eleo Istenre, ky Attia, fiu, szent Lelek, tellies sz. haromsagh, egy byzony eoreok Isten, hogy mj egész varassal, az my kegemes Vrnnknak, az Tekentettes es Nagisagos, Rakocy Georgynek, Isten kegelmesegebeol Erdely Orszaghnak feiedelmenek, magiar Orszagh reszeinek Vranak es Szekelieknek Ispanianak, eo Nagisaghanak, feiunk felu allasaigh igaz teokeletes leszunk, barattianak barattia, ellensegenek ellensege, se jo, se gonoz szerenczeiben, melleole el nem allunk, hevet, hideget, velle süvünk, szenvedünk minden artalmara vallo dolgokat, kiket akar honnet halhatunkis, eo Nagisaghanak mentel hamareb, hire teszuk, magunkis ellene ügiekezunk allanj. Kit Isten el tavaztasson, ha az szüksegh ugy kevania, hogy eo Nagisaghanak varassunkban kellene akar mely szükségnek Idejen jeony, szorulny minden hallogatasnelkül be boczattink etc. Mint ezeknek megh alasara, tartassara, minket meghis az igaz Isten vgy segellien, es ugy adgia lelkünk üdvesseget. Mely dolognak byzonysagara attuk az mj kegemes Urunknak eo Nagisaghanak, kezunk irasa allat keolt, es varassunk peczetivel ereositteket levelunkot. Datum in Civitate dicta Segesvar die 10. Mensis

Februarii Anno dominj Millesimo Sexcentesimo tricesimo sexto.

Idem *Martinus Vassas* Magister Ciuium. m. p.

*Stephanus Iffiu Regius et Zacharias Veirauch alias Filken Sedis Judices Civitatis Segesvar*  
m. p.

Ad hoc fidelitatis nostrae novum homagium,  
Illustrissimus Princeps, se quoque singulis Civitatis  
bus, Scripto, similiter novo homagio obstrinxit, se-  
quiturque in hanc formam:

Nos, Georgius Rakocy, DEj gratia Princeps  
Transylvaniae partium regnij Hungariae dominus et  
Siculorum Comes etc. Assecuraliuk az mj levelein-  
kel Segesvar varassaban lakozo minden rendbely  
hiveinket hogy ha nekunk az szükseghnek Idejen az  
Varasban kellene be mennunk avagy szorulnunk;  
ott ben vallo lakossunkat minden alkalmatassagal  
vgy igazgattiuk, hozzank vallo tartozokat oly fenyi-  
tekben tartiuk, mennel jobban lehet, penzunkeon  
elunk, eo kegelmekis mindenek igassagh szerinth  
vallo arat rendelven, es ellegedindeo commeatusokis  
leven. Seot az Vr Isten chendessegere es bekesse-  
ghere forditvan orszagunknak allapattiat; minden-  
esteol az Varabol ky megiunk, az Varast ezen  
mostanj allapattiaban magok gondviseletek allat had-  
gink minden Immunitassival egiüt. Kit igerink eo  
kegelmeknek sub bona fide christiana. Datum Clau-  
diopoli die 20 February Anno dominj 1636.

GRakocy. m. p.

Locus Sigilli.

His peractis, expeditur Legatio, tradunturque nobis litterae a Statibus Regnj Revocatoriae Assencionales ad Dominum Stephanum Bethlen, cum plenaria insuper instructione scripta, sic etiam ad D. Vizirium reliquosque officiales Budenses. Et sic cum bono Deo die prima Marti Colosvarino solventes pertransivimus oppidum Feness, Gyallo, Vassarhely et Keoreosseo, ubi et fluvius Keoreos scaturit, appulimus in Banfy Huniad, ibidem pernoctauimus. Die secundo inde solventes pertransivimus pagos, Remete, Sebeswar, ubi ingressi fluvium Keoreos prandium habuimus in Feketeto, inde montana transcendentes pervenimus et pernoctavimus in Banlaka. Die tertio solventes pertransivimus oppidum Rew, Possalaka in Vassarhely usque ibidemque pernoctavimus, die 4 venientes Varadinum per dies duos ibi moram fecimus. Die sexta solventes profecti sumus in oppidum Haidonum vulgo Sass, ibidem pernoctavimus. Die septima inde solventes pertransivimus oppida Saka et Pazmany in Gyarmat, ibidem pransi pernoctavimus in oppido Vanya. Die 8 solventes pervenimus in oppidum Thur, quod praeterfluit amnis Brettjo, ibidem pernoctavimus die 9 profecti, signanter pagum Rascianum Kengiel a sinistris praetereundo pervenimus in oppidum Turcicum Szolnok; ibique per Equos generose deducti ad Passam, Moharon Passam hominem grandaevum, vultu truculentum, expositaque Legationis nostrae Ratione satis inexpectatum retulimus responsum, qui infidelitatis in portam Ottomannicam, nos causando inter caetera protulit: Nem szin hanem szüvetek serinth mutatnak hüvsegeteket. Hoc oppidum Transylvaniam versus praeterfluit et lambit omnino fluvius Tybiscus, Tisza. Celebrarunt eo die Turcae festum solenne ipsis Bayram dictum, quod non secus ac nos diem nativitatis dominj venerantur. Notandumque quod

per annum duo habeant festa talia, quorum primum in novilunio Aprilis, alterum in novilunio July religiosissime, per triduum colunt. Post prandium Szolnokino solventes profecti sumus in Keoreos oppidum hominibus Hungariae optimis, divitibns cum omni domorū et vestimentorum liberalitatumque ornamentiis Saxones nostros Transylvanos re praesentans. Die undecima Keoreossim solventes pervenimus in pagum Nemethy, ibi denique per noctantes die duodecimo profecti Cis Pestum ob viam venit nobis Equitatus Turcicus insigniter ornatus et instructus. Cum quo progredientes penes Pestum Ciuitatem (quae muris quidem mox Civitatem nostram Meggiess in circumferentiae qualitate refert) naves consensi Danubiumque (qui moenia Pesti lambit et interfluit inter Budam et Pestum) transfretati feliciter in puncto horae duodecimae appulimus Budam Arcem quilibet ad hospitium sibi ordinatum. Eodem vel altero die colloquentes cum Interprete Veziry Habib Aga, die 14 Audientiam habuimus ab Illustrissimo domino Vezirio, Litteris nostris eidem cum muneribus redditis, qui nobis congratulatus de felici aduentu omnia bona precatus est et politus die 15 Audientiam habentes apud Magnificum D Teffter Tyhaia oblato munere et Litteris fecit similiter. Ipse Vezirius habuit filios duos Szuliman Bek majorem Memhet Bek juniores, et duas filias ex Coniuge sua Hannome, susceptas, quibus singulis munera obtulimus. Adfuit et mater Conjugis dominij Vezirij, frater similiter conjugis eiusdem Emir Effendy, oblata sunt et ipsis munera.

Die 19 Marty Audientiam habentes ab illustrissimo dom. Vezirio, Rationem Legationis nostrae in omni parte oretenus exposuimus rogantes eundem, ut nos in tam justa causa nostra promoveat defensatque Regnum nostrum in antiquis eiusdem Im-

munitatibus; admoneat insuper et D Stephanum Bethlen, ut redeat in patriam, Illustrissimo Principi nostro homagiuni fidelitatis praestet, nos (quia Authoritatem a Princeps Regnoque nostro habemus) eundem filiumque eiusdem Petrum Bethlen assecuratos esse, quod jacturam tam ipsi in proprijs personis, quam etiam bonis suis omnibus non patientur. Super quo multum ultro citroque disputatum Explanatisque litteris Assecurationalibus Regnij nostrj mandavit Vezirius interpreti de transferendis in Idioma Turcicum, Rogaviimus insuper eundem de concedenda facultate colloquendi cum D Stephano Bethlen, at quod distulit post translationem litterarum praefatarum. Die 21 Marty Audientiam habuimus a Magnifico domino Stephano Bethlen, expositaque ratione Legationis nostrae exhibitisque Litteris a Regno nostro eidem missis sciscitantesque Causam huius sui facti enumeravit Tres, leves profecto et viles valde. Post varias disputationes repedavimus domum. Die 25 denio Audientiam habentes a Magn. D. Stephano Bettlen ipse cantilenam priorem cecinit.

Die 27 advolavit huc Budam Legatus Kaputsy Passa a Porta Ottomannica, qui praesentem ob causam expeditus fuerat, Vezirioque insignia confirmationis (quia nondum erat confirmatus ipse.) Stephanus Bethlen sibi ea in confirmationem Principatus Transylvanicci adferrj arbitratus ipsi Kaputsy Bassae obviam profectus est, Nos quidem fecimus similiter sed sejuncti ab eodem.

Die 28. Consilium, primum quidem exposito ipsius Kaputsy Passae legationis effectu, inierunt D. Vezirius cum officialibus suis, cuj interfuerunt legati et officiales Arcium nonnullarum, Vatz, Eghr, Esztergom, Szolnok, Nandorfeiervar et reliquorum Arcium turcicarum in districtu isto existentium, nobisque bonus Causae nostrae Eventus, clam tamen,

renunciatus est. Interea sollicitavimus resolutionem a D. Stephano Bethlen, qui postulavit Authentica scripta Regnj nostrj, quibus per Generosum dominum Stephanum Pettky et me exhibitis, ad diem sequentem invitavit ad colloquium, quod et factum est.

Die 30. D. Stephanus Bethlen resolutionem suam ad Postulata nostra, satis inconsulte et irreverenter in minutis nobis paelegi curavit. Qua a nobis contradicta correctionem, si quid animadverterit, in diem sequentem distulit. Nos repedantes domum accersivimus D. Interpretam Habib Agam Resolutionemque D. Stephani Bethlen eidem declarantes rogavimus eidem referret D. Vezirio, si quidem pacificationis exigua spes, et ea animadverteretur.

Tandem sub crepusculum denuo nobis illudens D. Stephanus Bethlen, putans nos sua callida intricataque responsione remigraturos, domum per Secretarium suum Johannem Horvath sciscitavit, vtrum orctenus tantum an vero in scriptis priorem hanc resolutionem suam simus reportaturj? Nos, ut scripto se resolveret, postulavimus. Multis insuper modis de pacificatione cum eo disserentes tandem in haec prorupit, verba: Anne haberemus plenipotentiam realem, pacificandi cum eodem, et, si id faceremus, crederemusne, D. Vezirium pacificatione ista contentum fore? Nos ad Litteras Assecutorias provocantes diximus, quod maxime. Quin immo id fierj ex ipsius D. Veziry mandato severissimo. Ad quod D. Stephanus Bethlen dente canino subridens dixit: Bene, ego nec pro, nec contra loquor.

Resolutione itaque sua nobis ultima die Marty transmissa nos die sequente, prima Aprilis, denuo in scriptis, submisse valde, ut antea, replicavimus, in hoc solummodo instantes, ut Magnificentia sua postpositis omnis altercationis fomitibus allegatio-

nibusq. suis (quarum profecto nonnullae erant pueriles valde) simpliciter patriae bonum eiusque Immunitatem pensitando rediret ad ineundam pacem et gratiam Principis nostri denuoque sese scripto, et quidem modo meliori, resloveret. Qui sub crepusculum ne latum quidem ungvem se a priore sua Resolutione recessurum nobis per Secretarium suum Johannem Horvath renunciavit. Die eodem accersiti ab Illustrissimo Vezirio nobis mandatum Imperatoris primum quidem a longinquo aliquantulum significans, deinde quemlibet singillatim ad fidem nostram interrogavit per Interpretem, utrum contenti simus moderni Principis nostrj gubernatione? Et an quilibet ex Nationibus uniuscujusque pacifice suo gauderet et frueretur Privilegio?

Nos prout singillatim interrogati, singillatim quilibet Responsum dedimus: Nos in omnibus cum Principe nostro, ut Justitiae aequo administratore, Promotore et Conservatore, esse contentissimos. Quo auditio dixit: Quoniam vos ex tribus Nationibus fide mediante Principe nostro esse contentissimos recognosceremus, ipse etiam Imperator in pacifico Transylvaniae gubernio eum sit relicturus. Proinde nos pro majore in Portam Ottomannicam fidelitatis declaracione concederemus et traderemus Imperatori Arcem Jenneo, jam ante viginti quatuor annos eidem sub Sigillis et Litteris Regnicolarum nostrarum eidem promissam, quarum Authentica etiamnum reservarentur Constantinopoli, et hoc suo postulato se nihil novi, verum ut antea sibi datum requirere, quod autem hactenus arcem istam non receperit, factum fuisse negligentia Passarum Budensium, hac autem arce sibi tradita, se omnia dissidia tam publica, quam etiam intestina e medio sublaturum esse. Hic Gordij nodus sermonibus nostris finem fecit, et

cum hoc responso nos id ipsum Statibus Regni proposituri, discessimus quilibet ad hospitium.

Die 2da Aprilis Audientiam habentes a Magnifico Domino Tyhaia, qui alioquin secundus est a Vezirio, Expositoque negotio nostro, idem quod et Vezirius, nomine Imperatoris a nobis postulavit. Nos ut mitteretur certus nuntius cum paribus Litterarum Imperatoris in Transylvaniam postulavimus, Nobis insuper, qui jam finalē resolutionē habēremus a Domino Stephano Bethlen, similiter et ab illustrissimo Vezirio voluntatem seu postulatum Imperatoris intellexissemus, largiretur facultas abeundi domum. Regnum nostrum deliberaturum fore de his duobus negotiis.

Die hoc in puncto horae 9 vespertinae primum quidem die 29 Martij morbo Anginae tentatus vitam hanc cum morte commutavit charissimus Amitinus meus, Bartholomaeus Weyrauch Keohalmiensis, Magni illius, D. Davidis Weyrauck Judicis Regy Keohalmensis relictus filius. Fuit hic D. David Weirauch matris meae frater germanus. Hunc itaque defunctum miserum die sequente in magna hominum frequentia et comitatu etiam D. Stephanj Bethlen Legatorumque nostrorum honorificentissime humum mandavimus.

Die 7 Aprilis denuo solicitavimus dimissionem ab illustrissimo Vezirio dieque 19 Audientiam habentes a Magnifico domino Tyhaia, postulatum Arcis Jenneo missum fecerunt. Nos autem haec Tria praecipue solicitavimus, Primum ut tam Illustrissimus Princeps noster quam etiam Status assecuraremur, de pacifice gubernio Regnij Transylvaniae Illustrissimi Principis nostrij et ut Illustrissimus D. Vezirius superinde nobis Litteras assecutorias det. Secundum ut Illustrissimus D. Vezirius negotium Illustrissimi Principis nostrij apud Potentissimum Imperatorem Ottomannicum Consiliariosque eiusdem

promoveat atque defendat, nosque et Regnum nostrum in antiqua nostra Immunitate olim a Solimanno nobis in perpetuum confirmata pacifice relinquat. Tertium. Ut Magnif. Dominus Stephan. Bethlen ante egressum nostrum Budä, exeat quocunque bene visum fuerit Illustriss. Vezirio et Tyhajae. Ad haec tria puncta paratos esse sese D. Tyhaja nomine Veziry resolvet. Et cum hoc bono responso discessimus quilibet ad hospitium.

Ad solicitationem autem dimissionis nostraræ D. Vezirius se supra biduum non prolongaturum est pollicitus per D. Tyhaiam. Dieque itaque 14 Audientiam habentes ab Illustrissimo Vezirio, obtentisque Postulatis nostris finaleque responsum accipientes liberj pronunciati sumus ad remigrandum in Transylvaniam Patriam et induiti quilibet nostrum veste holoserica, auro intertexta, remigravimus in Equis generose ad hospitia. Die itaque 16 solventes Buda invitatique a. D. Stephano Bethlen Pestum (ubi ipse commorabatur) ad prandium, lauteque excepti valedicendoque ipse D. Bethlen cum famulis suis Equos nos comitatus ad miliare nnum, nobis ipse deinde valedicendo porrectisque aut potius juuctis dexteris cum multa lachrimarum profusione a nobis regressus est Pestum. Eodem die profecti sumus in oppidum Oczva, stipati comitiva Tartarum Pestiensum. Die 17 profecti in oppidum Keoriss. 18 pertranseuntes Civitatem Szolnok et fluvium Tybiscum vulgo Tiszza in oppidum Thur die 19 Thurino solventes in Giarmat usque die 20 Giarmatino profecti pervenimus in Civitatem Varadiensem. Die 22 Varadino solventes in Possalaka, 23 in Barod 24 Montana et fluvium Keoreos transcendentes in Banfy Huniad 25 pervenimus Kolosvarinum. 26 die Colosvarino solventes eodem die pervenimus Albam

Juliam. Effectumque Legationis nostrae Illustriss.  
Principi Senatusque suae Celsitudinis exposuimus.  
Confirmet Clemen. Deus, quod operatus est in hoc  
negotio. Ist dies aber nicht fast auf dem Mantell  
gerennt in so wenig tagen son Buda in Siebenburgen zu  
kommen?

---

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Archiv des Vereins für Siebenbürgische Landeskunde](#)

Jahr/Year: 1846

Band/Volume: [02](#)

Autor(en)/Author(s): Teutsch G.D.

Artikel/Article: [Aus dem Handschriftlichen Nachlasse eines Sachsen des 17. Jahrhunderts 305-316](#)